

quod ab interlocutoria debeat indistincte appellari in scriptis, tradit Speculator, tit. *de Appellation.* § *Qualiter autem.* n. 1. istud probans ex eod. cap. i. h. t. in 6; Maranta cit. tit. *de Appellat.* n. 138; Scaccia, quæst. 4. *de Appellation.* n. 9. post Francum c. *Ut debitus.* q. 7. n. 16. h. t. et alios. Dummodo hinc excipias appellationem ab interlocutoria habentem vim diffinitivæ, sicut et appellationem in causis summariter et de plano tractandis, ac hujusmodi, conformiter dictis supra n. 102. et seqq. Nam in his appellari potest in continenti viva voce, ob rationes superius altaras.

119. *Appellatio a sententia diffinitiva potest fieri vel in continenti, sive stante pede.* — Resp. II. Appellatio a sententia diffinitiva potest fieri dupliciter. Primo quidem in continenti, sive (ut alii loquuntur) « Stante pede, » et iudice adhuc pro tribunali sedente : et tunc ea fit viva voce, « et satis erit, si dicat appello, » per textum expressum in l. II. ff. *de Appellat. et Litigatoribus.* c. eod. Quamvis hoc ipsum mox sit inserendum actis publicis; et procedat solum in appellatione a sententia diffinitiva : nam appellatio interlocutoria, vel a gravamine aliquo semper debet fieri in scriptis, cap. i. h. t. in 6.

120. *Vel ex intervallo; et debet sic fieri in scriptis.* — Deinde appellatio a diffinitiva potest interponi ex intervallo, tamen intra decem dies : et tunc ea est facienda in scriptis, sive per libellum, quem vocant *Appellatorium*; quique debet continere personam appellantis, personam iudicis a quo appellatur, et sententiam a qua fit appellatio, l. I. § fin. ff. h. t. personam vero adversarii, contra quem fit appellatio, etsi bonum sit addere, tamen libellus appellatorius de necessitate non debet continere, l. *Scio.* 3. ff. eod.

121. *Potest fieri non solum per verbum Appello, sed etiam per verba æquipollentia : idque exemplificatur.* — Resp. III. Non solum per verba expressa « Appello, » vel « Provoco, » sed etiam per verba æquipollentia potest interponi appellatio. Ita Scaccia, *de Appellation.* quæst. 4. n. 19. et alii. Idque clare desumitur ex c. *Ad audientiam.* 34. h. t. ubi gravatus a iudice, si se subiciat protectioni superioris, censetur appellasse, licet non fuerit usus hoc verbo, « Appello. » Quod intellige cum Abbate, ibid. n. 1; Barbosa, n. 2; Scaccia, loc. cit., n. 22. et aliis, dummodo exprimentur, atque servantur omnia necessaria ad appellationem, in tali submissione,

puta dicendo : « Domine, contra gravamen mihi illatum nolo amplius coram vobis litigare, sed submitto me, meaque omnia protectioni papæ : » petendo postmodum apostolos, et alia observando, quæ ad appellationem requiruntur. Accedit ratio : quia quando non requiritur certa verborum formula ad substantiam actus sufficit, mentem exprimere verbis æquipollentibus, c. *In his de Verb. Signif.* Pirhing, h. t. n. 103. Unde ulterius ad appellationem sufficit dicere « Proclamo, » vel « Provoco » a tali sententia, seu « conqueror » de ea, aut hujusmodi : quia non refert, quid de æquipollentibus fiat, arg. ult. ff. *Mandati.* Scaccia cit. n. 18. istud cum aliis intelligens, quando per verba æquipollentia constat de mente appellantis.

122. *Imo potest etiam facto fieri. Plus est facto provocare, quam verbo.* — Resp. IV. Non verbis duntaxat, sed etiam ipso facto potest appellatio fieri : sic enim itineris arreptio ad superiorem habet vim appellationis, dummodo servantur ea, quæ cæteroquin requiruntur ad appellationem. Ita communis; et habetur derisum c. *Dilecti filii.* 52. h. t. addita ea ratione : « Quia plus est facto provocare, quam verbo : » nam plus est, factis declarare animum suum, quam verbis; imo verba quandoque sunt falsa, non facta.

123. *Dummodo servantur ea, quæ cæteroquin ad appellationem requiruntur.* — Additur, « dummodo servantur ea, quæ cæteroquin requiruntur ad appellationem. » Hoc est, ut appellare volens iter arripiat ad legitimum iudicem, petat apostolos, exprimatque causas gravaminis, v. g. dicendo superiori : « Domine episcopo, vos me gravastis in tali articulo, circa quem nolo amplius litigare coram vobis, sed volo ire ad papam; et hinc instanter peto apostolos. » Tunc enim, quamvis non exprimat verbum, « Appello, » itinere tamen ad papam habetur pro appellante : quia non refert, quid de æquipollentibus fiat, ut proxime dictum. Abbas cit. c. *Dilecti filii.* 52. n. 4. *de Appellat.*; Pirhing, h. t. n. 95. et 96. et alii. Quod si prædicta non servantur, censetur quis renuntiasse appellationi, nec sufficit sola itineris arreptio, aut missio ad superiorem pro appellatione proseguenda, c. *Ab eo.* h. t. in 6.

§ V.

DE APOSTOLIS, SEU LIBELLIS DIMISSORIIS APPELLATIONUM.

124. *Apostoli in proposito, qui; et unde sic dicantur?* — Quæritur I. Quid et quotuplices sint apostoli? Resp. I. *Apostoli* in proposito, dicuntur libelli dimissorii (ut vocantur in rubric. ff. *de Libellis dimissoriis*), seu litteræ dimissoriæ, quas iudex a quo appellatum est; transmittit ad iudicem ad quem, sive ad eum, qui de appellatione cogniturus est; in eisque testatur, Titium v. g. appellasse a sententia sua, quam inter ipsum et Cajum circa talem causam tulerat. Textus est in l. I. ff. *de Libellis dimissor.* Et tales libelli dimissorii appellationum, vulgo dicuntur *apostoli*, hoc est, *missi* : quia mittuntur ad iudicem ad quem, ut de causa appellationis instruat. Unde impræsentiarum per apostolos non intelliguntur Petrus et Paulus, vel alii et collegio apostolico Christi Domini. Glossa in cap. i. §. *Petat apostolos.* h. t. in 6.

125. *Apostolorum hujusmodi quinque sunt species.* — Resp. II. Hujusmodi apostolorum quinque sunt species. Ita Speculator, tit. *de Appellationibus.* § *Sequitur videre.* n. 1; Abbas c. *Bonæ memoriæ.* 51. n. 9. h. t.; Scaccia, quæst. 13. *de Appellation.* n. 3. et alii. Ratio est, quia apostoli possunt peti, ac dari tum in iudicio, tum extra iudicium : ex quibus illi, qui dantur in iudicio, sunt vel dimissorii, vel reverentiales, vel refutatorii : qui vero extra iudicium, generatim extrajudiciales dicuntur; et sunt vel conventionales, vel testimoniales. Idque patebit explicando singula membra : Siquidem.

126, 127 et 128. *Apostoli dimissorii, Apostoli reverentiales et apostoli recusatorii, qui et quomodo hi dandi?* — « Apostoli dimissorii » dicuntur litteræ ad iudicem superiorem directæ, in quibus iudex a quo appellati deferens testificatur de appellatione interposita, et a se admissa. Et de his fit mentio can. *Ab eo.* 2. q. 6. ibi : « Ab eo, a quo appellatum est, ad eum, qui de appellatione cogniturus est, dimissoriæ litteræ dirigantur, quæ vulgo Apostoli appellatur. » Similia habentur l. I. ff. *de Libellis dimissor.* Et hi libelli, sive apostoli, dicuntur dimissorii : quia, ut notatur l. *Dimissoriæ.* ff. *de Verb. signif.* per hujusmodi litteras « causa ad eum, qui appellatus est, dimittitur : » nam iudex concedendo apostolos dimissorios, hoc ipso ex-

primit, quod deferat appellationi, sicque appellantem a sua potestate, et jurisdictione dimittat. Scaccia, *de Appellation.* quæst. 13. n. 10. cum aliis.

« Apostoli reverentiales » vocantur, quando iudex a quo deferat appellationi, eamque admittit, non ob justitiam causæ, sed ob reverentiam iudicis superioris, ad quem fuit appellatum. De hac fit mentio cap. i. h. t. in 6. ibi; « Vel sit appellationi forsitan ex superioris reverentia sit delatum. » Ubi Glossa §. *Delatum.* in addit. ait, hoc fieri solere in dubio, quando nimirum dubitatur de veritate appellationis, aut de ejus justitia; puta, propter diversitatem sententiarum inter doctores.

« Apostoli refutatorii » sunt, quos dat iudex non deferens appellationi, experimende simul causam, cur appellationem non admisserit. Debet enim hujusmodi causa exprimi, cap. i. h. t. in 6. et l. *Sciendum.* ff. *de Appellat. recipiend.* Alias, si absque causa iudex appellationem non admittat, punitur, l. *Quoniam.* C. h. t.

129. *Non obstante, quod appellatio per iudicem inferiorem non fuerit admissa, nequit is procedere ad executionem.* — Cæteram his non obstantibus, seu non obstante, quod appellatio per iudicem inferiorem non fuerit admissa, nequit is ea interposita procedere ad executionem sententiæ. Nam ut l. un. ff. *Nihil novari appellatione interposita,* dicitur, « Appellatione interposita, sive recepta sit, sive non, medio tempore nihil novari oportet. » Ne videlicet interim, dum per superiorem deliberatur, an appellatio recipienda sit, nec ne, per executionem iudicis inferioris fiat præjudicium appellanti.

130. *Notabilis differentia inter apostolos dimissorios, atque reverentiales; et inter apostolos refutatorios. Iudex a quo deferens appellationi abdicat a se jurisdictionem et transfert causam in superiorem.* — Interim est notabilis differentia inter memoratos apostolos. Nam si iudex a quo detulit appellationi ab interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali (prout fit per apostolos dimissorios, ac reverentiales) censetur a se omnem jurisdictionem abdicare, et causam in superiorem transferre : unde poterit iste, si velit, in causa procedere, etiamsi iudicaverit appellationem esse frivolum, et frustratoriam; per textum in c. *Cum appellationibus.* § *Si vero.* h. t. in 6. ubi istud sequentibus verbis statuitur : « Si vero iudex admittat eandem, licet tam

appellatio, quam ipsius iudicis delatio a superiore valeat refutari; quia tamen iudex ipse, quantum in se fuit, a se jurisdictionem abdicavit eadem, appellationi deferens minus justæ, totius causæ decisio in superioris est potestatem transfusa: nec est illi causa de necessitate ulterius remittenda, etc. Hæc ibi.

131. *Secus, si iudex a quo non deferat appellationi, dando apostolos refutarios.* — Secus est, si iudex a quo appellationi, tanquam minus legitimæ, non deferat, dando videlicet apostolos refutarios. Nam tunc iudex, ad quem est appellatum, si cognoscit appellationem esse minus legitimam, tenetur appellantem remittere ad priorem iudicem; ita tamen, ut talem appellatorem antea, seu eadem adhuc die, alteri parti in expensis condemnet. Textus est in cit. c. *Cum appellationibus*. § 1. h. t. sic loquens: « Cum appellationibus frivolis nec iustitia deferat, nec sit a iudice deferendum: si iudex inferior appellationem minus legitimam non admittat, eam appellatore nihilominus prosequente, superior de ipsa cognoscens causam ad priorem iudicem (juxta sanctiones canonicas) sine difficultate remittat, eadem die condemnationem faciens expensarum. » Ubi Glossa, et doctores, atque infra § 8. n. 235 et seqq. ulterius dicitur.

132. *Apostoli, testimoniales, qui?* — « Apostoli conventionales » dicuntur, qui dantur a parte adversa appellationem approbante, etiam si iudex sit invitatus, aut dentur extra iudicium, c. *Sæpe contingit*. 44. h. t.

133. *Apostoli testimoniales, quæ?* Tandem « Apostoli testimoniales » sunt illi, qui dantur a notario, vel aliis honestis viris, quando coram illis copia iudicis non existente appellatio proposita fuit, sicque de hoc eodem testantur, conformiter dictis supra § 4. n. 91.

134. *Apostoli, de facto sunt petendi intra triginta dies.* — Quæritur II. Intra quod tempus, et quo modo petendi, dandique sint apostoli? Resp. I. De facto, et spectato jure communi, apostoli intra triginta dies a tempore interpositæ adversus iudicem appellationis sunt petendi. Ita habetur l. *Judicibus*. c. *de Appellat.* estque clarius expressum c. *Ab eo*. h. t. in 6. ubi dicitur: « Ab eo, qui appellat, infra triginta dies instanter apostoli peti debent, et eidem infra dictum tempus a iudice exhiberi: alias præsumitur appellationi suæ renuntiare ap-

pellans, si eos infra idem tempus petere prætermittat, etiamsi vadat, aut mittat ad appellationem hujusmodi prosequendam. » Hæc ibi. Concordat Clem. *Quamvis*. h. t. ubi istud amplius declaratur.

135. *Olim intra quinque dies peti debebant.* — Dicitur imprimis, « De facto: » Nam olim de jure antiquo apostoli intra quinque dies peti debuerunt, can. *Ab eo*. 2. q. 6. Sed istud jure recentiori fuit immutatum, atque appellare volentibus, pro petitione apostolorum est concessum tempus triginta dierum: per textus jam allegatos, cum concordantiis.

136. *Apostoli alicubi, ac in camera imperiali, non necessario petuntur.* — Dicitur ulterius « spectato jure communi » Siquidem etiam de facto in camera imperiali, ac in nonnullis aliis tribunalibus, isthæc apostolorum petitio non est in usu, neque necessaria; sed valet appellatio, quamvis apostoli petiti non fuerint. Sigism. Scaccia, quæst. 13. de *Appellatione*. n. 56. asserens, ita esse constitutum in regno Franciæ. Engel. h. t. n. 46. ubi ait; in camera imperiali hodie apostolorum petitionem non esse in usu. Maranta, part. VI. *Speculi aurei*. tit. de *Appellatione*. n. 221. et alii.

137. *Secus spectato jure communi.* — Verum spectato jure communi appellans necessario debet petere apostolos, can. *Post appellationem*. 2. q. 6. et d. c. *Ab eo*. h. t. in 6. cum similibus. Scaccia cit. quæst. 13. n. 24. allegans alios. Adeo, ut si non petantur debito modo proxime declarando, censeatur appellans renuntiasse factæ suæ appellationi. Clem. *Quamvis*. h. t. Sive dein appelletur a sententia definitiva, sive ab interlocutoria. Scaccia, in quæst. 13. n. 31, et alii.

138. *Judex an teneatur tradere apostolos non petenti.* — Nec obstat textus in l. *Eos, qui de*. § *Apostolos*. c. h. t. ubi dicitur: « Apostolos autem post interpositum provocationem, etiam non petente appellatore, sine aliqua dilatione iudicem dare oportet. » Nam, ut concordentur jura iuribus, dicendum est, textum istum procedere, quando iudex recipit appellationem: quia tunc tenetur tradere apostolos, etiam non petitos. Petrus de Ancharano cap. 1. h. t. in 6; Scaccia cit. quæst. 13. n. 37, allegans insuper Geminianum in cap. 1. n. 12, et Francum n. 11, h. t. in 6. Alias secus, per jura priora.

139. *Quando appellatur a iudice, sunt petendi apostoli.* — Dicitur tertio, « interposita adversus iudicem, » etc. Nam quando ap-

pellatur a iudice, sive judicialiter, sive extrajudicialiter procedente, de jure communi semper peti debent apostoli: cum adsit, qui eos dare possit, quin et dare teneatur, videlicet iudex ille, a quo appellatur: ut cap. 1. juncta Glossa §. *Vel extra*. h. t. in 6.

140. *Et quid, si appelletur a gravamine extrajudiciali, et non per iudicem illato?* — Quod si vero appelletur a gravamine extra iudicium, et non per iudicem, sed aliunde illato, puta, in electione, non est necesse petere apostolos; cum non adsit, qui illos dare valeat, vel teneatur. Consultius tamen est, etiam tunc ipsos petere sub conditione, si adsit, qui eos dare possit. Glossa cit. cap. 1. §. *Vel extra*. h. t. in 6; Maranta, part. VI. *Speculi aurei*. tit. de *Appellatione*. n. 227; Pirhing, h. t., n. 142. et alii.

141. *Apostoli etiam congruo loco, et tempore, instanter et sæpius sunt petendi; idque exemplificatur.* — Resp. II. Non solum intra tempus triginta dierum, sed etiam « congruo loco, et tempore, instanter et sæpius, » petendi sunt apostoli. Ita communis: atque his ipsis verbis habetur expressum in cit. Clem. *Quamvis*. h. t. Unde non sufficit, apostolos petere a iudice, dum equitat, vel per viam transit: quia sunt petendi « congruo loco. » Nec etiam satis est, eos petere de nocte, aut sub missa, sive sub prandio, vel alio tempore incongruo, prout exemplificat Glossa c. *Ab eo, qui*. §. *Loco*. h. t. in 6. Neque sufficit, apostolos petere leviter solum, vel semel duntaxat: sed debent peti « instanter, et sæpius; » ut loquitur citata Clement. *Quamvis*. post textum expressum in can. *Post appellationem*. 2. q. 6. Idque merito statutum fuit: tum ut iudici, a cujus sententia appellatur, debitus deferatur honor, ab ipso instantius petendo apostolos: tum ut iudex ille moveatur ad revocandum gravamen, si gravavit, atque sententiam adhuc revocare potest (prout accidit in appellatione a sententia interlocutoria) forte enim alias gravamen illud non revocaret, si non fieret talis instantia. Sigism. Scaccia, d. quæst. 13. de *Appellatione*. n. 25. post Rotam decis. 46. alias 351. de *Appellat.* in novis.

142. *Alioquin appellans censetur renuntiasse suæ appellationi.* — Quod si secus fiat, atque appellans non petat apostolos modo jam memorato, censetur ipse renuntiasse suæ appellationi. Glossa can. *Post appellationem*. §. *Tempus*. 2. q. 6. id probans ex can. *Ab eo, a quo*, ead. caus. 2. q. 6. Con-

cordat textus in c. *Ab eo, qui appellat*, h. t. in 6. argumento a sensu contrario desumpto, ibi: « Apostolos appellanti non tribuat requisitus, » etc. Estque clarius decisum in cit. Clem. *Quamvis*. §. *Verum*, h. t. illis verbis: « Verum si iudex, a quo appellatur, certum terminum ad recipiendos apostolos appellanti assignet, et appellans in assignato sibi termino non compareat coram eo, nec petat apostolos sibi tradi, appellationi suæ renuntiasse videtur. Similiter si iudex appellandi responderit, intra juris terminum apostolos se daturum, appellationi renuntiasse appellans intelligitur, nisi intra dictum terminum congruo loco, et tempore instanter, et sæpius, saltem uno contextu, petat apostolos ab eodem iudice sibi dari, vel si recideret, recusat oblatos. » Hæc ibi.

143. *Sufficit tamen, apostolos petere sæpius in uno contextu.* — Additur notanter, « saltem uno contextu. » Quamvis enim antiquitus petitio apostolorum fuerit facienda interpolatis, seu renovatis vicibus; prout scribit Scaccia, d. quæst. 13. n. 26. post Rotam decis. 57. alias 460. de *Appellatione*. in novis. et alios. De facto tamen, juxta cit. Clem. *Quamvis*. h. t. sufficit, uno contextu sæpius, et instanter, apostolos postulare; puta dicendo. « Domine iudex, appello, et peto apostolos, et quidem instanter, eosque iterum atque iterum postulo. »

144. *Possuntque peti intra triginta dies, et viva voce.* — Iusuper necesse non est, ut apostoli petantur tempore appellationis, dummodo petantur intra triginta dies, a die factæ appellationis numerandos; ut cit. can. *Post appellationem*. 2. q. 6. juncta Glossa ibid. §. *Tempus*. Possuntque viva etiam voce postulari; licet consultius sit eosdem petere in scriptis, ut sic melius facta illorum petitio probari valeat: ipsa tamen datio apostolorum, per iudicem necessario in scriptis expediri debet. Pirhing, h. t. n. 142.

145. *Sunt petendi, ac præsentandi iudici ad quem, sumptibus ipsius appellantis.* — Quæritur III. Cujus expensis apostolis concedantur, et an in eorum concessione possit iudex a quo præfigere appellanti terminum ad se præsentandum cum apostolis coram iudice ad quem? Resp. I. Apostoli sunt petendi, atque præsentandi iudici ad quem, sumptibus ipsius appellantis. Ita Glossa in Clem. *Quamvis*. §. *Oblatos* h. t.; Maranta, part. VI. *Speculi aurei*. tit. de *Appellatione*. n. 224, hanc appellans communem, et veram conclusionem

Scaccia cit. quæst. 13. de Appellat. n. 114. post Baldum in Aut *Hodie*. § *Apostolos* n. 13. c. de Appellation. et alios.

146. *Judex a quo potest appellandi præfigere terminum præsentendi apostolos; adeo, ut alioquin appellatio efficiatur deserta.* — Resp. II. Potest judex a quo dando apostolos præfigere appellanti certum terminum, competentem tamen, præsentandi apostolos coram iudice ad quem: adeo, ut si appellans intra tempus illud se coram superiore iudice non præsentaverit, una cum datis apostolis appellatio efficiatur deserta. Ita Glossa l. *Præses*. §. *Præscriptum*. Scaccia c. h. t. cit. quæst. 13. n. 38. et quæst. 15. n. 15; Maranta, d. tit. de Appellat. n. 205 (Pirhing, h. t. n. 145; et alii communiter. Idque desumitur ex c. *Personas*. 4. h. t., ubi dicitur posse iudicem a quo, præfigere terminum appellanti ad se præsentandum: adeo, ut alias censeatur appellatio deserta, et appellans cogatur stare priori sententiæ. Nec immerito: tum ut præcludatur via malitiis hominum, causam appellationis alioquin diutius protrahentium; tum quia qualitas negotii principalis, quandoque ob varias circumstantias majorem requirit accelerationem, ac brevior finem litis.

147. *Pendente appellatione sunt ligatæ manus iudicis a quo; et quomodo?* — Nec obtat, quod pendente appellatione censeantur ligatæ manus iudicis a quo. Nam istud procedit solum quoad causam principalem, cui non potest se immiscere, neque sententiam suam exequi: non vero, quominus possit statuere terminum competentem, et abbreviare tempus juris, infra quem terminum si appellans non se præsentet iudici ad quem, vel non prosequatur appellationem, remaneat appellatio deserta, et priorem suam sententiam possit iudex ille exequi: ut cit. c. *Personas*. h. t. Cui simile quid habetur c. *Cum sit Romana*. 5. et Clement. *Quamvis*. eod.; Maranta cit. n. 205. et alii.

148. *Judex tenetur debite petenti apostolos exhibere intra triginta dies: alias punitur et quomodo?* — Quæritur IV. Quid juris, si apostoli debito petantur, aut petiti non dentur a iudice a quo? Resp. I. Quando apostoli per appellantem debite, ut supra, petiti fuerunt, tenetur iudex eosdem intra tempus triginta dierum, a die sententiæ numerandorum exhibere, text. clar. c. *Ut super*. 4. et c. *Ab eo*. 6. h. t. in 6. cujus posterioris verba n. 134. relata sunt. Alias ipsemet iudex una cum officio, seu officiali suo non contradi-

cente, mulctæ, subiacebit, l. *Judicibus*. c. h. t. Qualis mulcta de rigore juris civilis, ac loquendo in causis civilibus, est punitio in triginta libris auri, l. *Quoniam*. c. eod. De jure canonico tamen, si causa est civilis, imponitur pœna arbitraria: si vero causa est criminalis, iudex est deponendus. Maranta, part. VI. *Speculi aurei*. tit. de Appellation. n. 210; Scaccia, d. quæst. 13. n. 101.

149. *Etsi post denegatos apostolos procedat in causa, processus est invalidus.* — Resp. II. Insuper, si iudex post denegatos, vel non datos appellanti, debiteque petenti apostolos, ex tunc forsitan in causa procedat, nisi appellationi renuntiatum fuerit (expresse, vel saltem tacite) processus est invalidus, et irritus. Ita textus expressus in cit. c. *Ut super*. 4. h. t. in 6. juncta Glossa §. *Renuntiatum*. et §. *Irritus*. istud ampliante ad eum casum, quo alias de jure valeret processus: puta, quia frustratoria est appellatio, cui deferendum non est, c. *Cum appellationibus*. 5. h. t. in 6.

150. *Et quo modo?* — Et quidem loquendo de appellatione a sententia definitiva, si iudex a quo procedere attentaverit in causa post denegatos, vel saltem non datos rite petenti apostolos; ejusmodi processus ipso jure nullus existit, atque retractatur per viam attentati: nam pendente appellatione (ut hæc semel facta pendet intra terminum petendi apostolos) conquiescit officium iudicis a quo Scaccia cit. quæst. 13. de Appellation. n. 76. et seqq. et n. 91. referens alias doctorum sententias: quamvis oppositum merito teneat in appellatione a sententia interlocutoria; tunc enim nullitas processus pendet a futuro eventu: quia, si appellans obtinebit in causa appellationis ab ipsa interlocutoria, retractabitur processus; alias non juxta textum in c. *Non solum*. 7. § *Ille vero*. h. t. in 6.

151. *Si iudex non dederit apostolos, potest appellans absque istis prosequi appellationem.* — Resp. III. Ulterius si iudex debite, instanterque, ac sæpius requisitus, ut supra, expresse deneget apostolos, aut saltem statuto a se, vel a jure tempore, malitiose sive negligenter eosdem tradere prætermittat tunc appellans absque apostolis poterit prosequi appellationem suam; dummodo id ipsum contestetur. Textus est in l. un. c. de *Libellis dimissor*. quæ est canonizata can. *Post appellationem*. 2. q. 6. Ubi ratio hujus refunditur in naturalem sequitatem, seu quia

« æquum est, si per iudicem steterit, qui debebat dare litteras, quominus det, ne hoc accipere volenti noceat. » Concordat textus in Clem. *Quamvis*. § fin. h. t. uberius hoc ipsum declarans.

§ VI.

DE FATALIBUS APPELLATIONUM.

152. *Fatalia appellationum; quid?* — Quæritur I. Quid sint, et quotuplicia Fatalia appellationum? « Fatalia appellationum » dicuntur tempora illa, intra quæ debet inchoari et terminari causa appellationis: alias quippe appellatio fit deserta. Ita Sigism. Scaccia quæst. 15. de Appellat. n. 2. et in re communis.

153. *Unde sic dicantur?* — Et dicuntur fatalia, a fato, sive a morte, juxta l. II. c. de *Temporib. in integ. restitut.* ibi: « Pater tuus in fata concessit, » cum similibus. Unde tempora illa, intra quæ debet inchoari, et terminari causa appellationis, appellantur *Fatalia*, id est, mortem inferentia ipsi appellationi; adeo, ut hæc sit deserta, nisi intra tempora illa fiat, ac terminetur, et rata maneat prior sententia: quia sicut mors extinguit hominem, ita lapsus illius temporis extinguit appellationem. Abbas c. *Ex ratione*. 8. n. 8. h. t.; Maranta, part. VI. *Speculi aurei*. tit. de Appellation. n. 232; Scaccia, ubi supra, n. 1. et alii.

154. *Generatim sunt in triplici differentia.* — Resp. II. Fatalia appellationum generatim sunt in triplici differentia: nam quædam sunt ad interponendam appellationem; quædam ad eam introducendam coram Superiore, seu Iudice ad quem; alia vero spectant ad finiendam appellationem. Ita Gailus, lib. I. *Pract.* observat. 139. n. 1. et alii. Nec in re discordat Pirhing, h. t. n. 131. cum nonnullis aliis asserens, quatuor esse fatalia appellationum. Nam hi auctores, præter tria jam enumerata, addunt Fatale petendi apostolos, de quo jam proxime dictum est: neque proprie ac immediate est unum ex fatalibus appellationum, sed solum mediate, ac in consequentiam, imo alicubi nec est in usu. Porro per ordinem prosequendo alia tria fatalia appellationum.

155. *Fatalia interponendæ, quid?* — Quæritur II. Quæ sint fatalia interponendæ appellationis; et qualiter computentur? Resp. I. Per « Fatalia interponendæ appellationis »

intelligitur tempus illud, intra quod gravatus per sententiam iudicis, vel aliunde appellare potest ab illato sibi gravamine: adeo, ut elapso tali tempore facultas appellandi pereat, atque extinguatur. Ita in re communis. Quæ quidem fatalia interponendæ appellationis passim appellantur « Decendium ad appellandum » concessum: de quo jam breviter dictum est tit. præced. § 4. n. 110. et 111. nunc autem amplius declarabitur: unde.

156. *Hæc olim fuerunt duo vel tres dies: nunc sunt decem dies.* — Resp. II. Hujusmodi fatalia interponendæ appellationis, de jure antiquo fuerunt duo, vel tres dies, l. I. § *Biduum*. ff. *Qu. rdo appellandum sit*. ac refertur ean. *Biduum*. 2. q. 6. Verum spectato jure novo sufficit appellare intra decendium: hoc est, intra decem dies a die latæ sententiæ, vel illati gravaminis, ejusque scientiæ numerandos. Ita communis; atque habetur decisum in Auth. *Hodie*. juncta Glossa ibid. c. de Appellation. Concordat textus in c. *Quod ad consultationem*. 15. de *Sentent. et re judicat.* ibi: « Cum post decem diem spatium sententia in auctoritatem rei transeat judicatæ, qui ad provocationis subsidium infra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit. »

157. *Decendium ad appellandum concessum, quando currere incipiat?* — Resp. III. Prædictum decendium ab appellandum concessum, seu continens fatalia interponendæ appellationis, est computandum ab hora latæ sententiæ, seu illati gravaminis, hujusque scientiæ: atque a principio est utile, et non currit ignorantibus; sed in progressu est continuum, et fit computatio ejus de momento in momentum. Ita Glossa c. *Concertationi* §. *Sciverit*. h. t. in 6. et favet textus ibidem illis verbis: « Quisquis ex eis (actibus extrajudicialibus, v. g. Electionibus, provisionibus etc.) gravatum se reputans, per appellationis beneficium gravamen illatum desideravit revocari, infra decem dies (postquam sciverit) si velit, appellet: post decendium vero eidem aditus non pateat appellandi. » Concordant dicta superius cit. tit. præced. § 4. n. 110. et 111. ubi plures auctores pro hac sententia allegantur.

158. *Non currit ignorantibus, se esse gravatum.* — Quinimo non sufficit scire solummodo, actum factum; sed etiam est necesse scire, sese ex eo esse gravatum. Sic v. g. non sufficit, quod sciam, te esse electum ad tale